

Michael Foertsch Johann Philipp Meier


Exercitatio Prima, De Legum Naturalium Origine

Durlaci: Müller, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787861669>

Druck Freier  Zugang





In Tomo hoc XXXVII. Sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. I, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethera Sancta sui vindic.
5. Jo. Faust protri. de oratione divina in Act. XVII, 28.
6. D. Georgij Haberlini fascic. Myrtha. Cant. I, 13.
7. Andreas Vivinius ad Psalmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Metz. Manipulus thesauri Praeclarum sub B.
Sugemamo propositarum.
10. D. Martin Gejeri conformitas Iudaeo Papistica in
Doctrina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Scheelfuhrer protri. de Chirismo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Persecutione venerabil.
13. Gabrielis Wedderkopff de Atheismo Sconianorum.
14. Michael Foerster de seculum naturalium origine.
15. —. De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conce-
munt. 2. 8.
16. C. Jo. Fecht de Iudaei Controversiarum.
16. a. —. de Trinitate.
16. b. —. De Anti Chri. s.
17. —. De Invocatione Sanctorum.
18. —. De Purgatorio.
19. —. De Communione sub utraque

42. } Floornbeek de Predestinationes.
43. }
44. }

44. b. — . De Sabbatho.

45. — . De Ministerii acceptioes.

46. — . De Examine Ministrorum.

47. — . De eorum officio.

48.)

49.)

50. — . De Ecclésiasticorum Vita.

51.)

52.)

53. — . De Fœdere Ecclésiastico.

54. — . De Mundo.

55. — . Ad Matt. xxiii, 37. —

56. — . — . xl, 20. 21.

57. Jos. Cocceji de divinitate Script.

58. } — . de Perfectioe Script.

59. }

60. } — . de Fœdere gratiæ et Vet. ac N. T.

61. }

62. } — . de eo quod Deus est.

63. }

64. — . de statu Humiliationis Christi.

65. Jo. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.
66. —. De Oblatione Christi.
67. Wetstenij. De unione Personali in Christo Forma,
Tine Effectus. etc.
68. — Lucia Gernleri de Forma Unionis Personali
in Christo.
69. —. De Prophetatibus Dei.
70. —. De Secuto in Spiritum S.
71. Wetstenij de Prodest. Bonorum et malorum.
72. Hinc et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

EXERCITATIO PRIMA,

DE

LEGUM NATURALIUM
ORIGINE,

DE QUA,

PRÆSIDE

MICHAELE FÖRTSCHIO

SS. THEOL. LIC. ECCLESIASTE AULICO
ET THEOL. PROFESS. ORDIN.

RESPONDEBIT

JOHANNES PHILIPPUS MEIERUS
DURLACO - MARCHICUS

AD D. 25 MAII M. DCLXXXV.

DURLACI,

TIPIS MARTINI MÜLLERI.

V I R O
PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO,

DOMINO
JOANNI FECHTIO,
SS. THEOL. LICENTIATO

SERENISSIMO PRINCIPI MARCH. BAD. A CON-
SILIIS ECCLESIASTICIS ET CONCIONIBUS AULI-
CIS, ILLUSTR. GYM. DURLAC. INSPECTORI
ET PROFESSORI THEOL. ORDIN.

PATRONO, PRÆCEPTORI, AC PROMOTORI STUDIO-
RUM SUORUM MAXIMO

*Hujus quicquid est Speciminis
in
Æternum observantia monumentum
gratiae, ob innumera beneficia
animi *receptoris*
devote
offert & dedicat*

RESPONDENS

JOHANNES PHILIPPUS MEJERUS



CONSPECTUS EXERCITATIONIS

I.

Natura hominis in mente & voluntate posita, ejusdemque viros verbis veterum exposita.

II. Consensus Ecclesiae, ex Confessione publica.

III. Naturalis conditio hominis. Hinc dictamina rationis, quæ dicuntur *Leges Naturales*, quarum vocum vis ac natura ex Scriptoribus antiquis, Sacris & profanis explicatur.

IV. *Hobbesii* Sententia de his vocibus. Jureconsultorum vocabula, ubi de definitione *Ulpiani*, undeque recta illius explicatio sumenda.

V. In origine Legum Naturalium arcessenda supponendum: DEUM existere eundemq; creatorem rerum atq; rectorem esse, ubi de *Grotii* sententia.

VI. Origo Legum Naturalium generatim indicatur, & probatur breviter ex sacra scripturæ locis, additâ epicrisi.

VII. Illustratur ac confirmatur ex Veteris Ecclesiae Doctoribus.

VIII. Idem ex conscientia docetur ac communi consensu, ubi *Hobbii* genuina sententia adversus *Sirincesium* ostenditur.

IX. Expressior ac specialior tractatio de Legum Naturalium origine incipit. Ubi primum difficultas ex *Augustino* proponitur.

X. Historia summorum errorum sub Vetere Ecclesia. Reformatorum quorundam sententia.

XI. De *Scholasticis* & *Casuis* quid hic sentiendum.


XII. Quid à cordatoribus in his actum. Nostrum institutum.

XIII. Liberrimi DEI fuisse arbitrium, animal condere perfectionibus moralibus præditum.

XIV. Suppositâ verò naturâ ac conditione hominum, respectus ejusmodi resularum objectorum & actuum Legè Naturali præceptorum, per quos actus convenientes dicuntur divinæ & humanæ naturæ. Ubi ostenditur per specimen convenientia actuum cum divina natura, ex natura rei, *Sacra Scriptura*, & *Antiquitate*.

XV. Illustramentum ex veteri Philosophia *Pythagorea*. XVI. Conv

Handwritten notes on the right edge of the page, including numbers 4, 8, 13, 18, 20, 25, 30, 35, 40, 45, 50, 55, 60, 65, 70, 75, 80, 85, 90, 95, 100, 105, 110, 115, 120, 125, 130, 135, 140, 145, 150, 155, 160, 165, 170, 175, 180, 185, 190, 195, 200.



XVI. **Convenientia** actuum Legis Naturalis cum natura humana rationali ostenditur summamim.

XVII. Convenientia eorundem cum conditione hominis sociali ex Veteri Philosophia, Scriptura, & Veteri Ecclesia itidem summamim illustratur.

XVIII. Hinc necessitas ac immutabilitas Legum Naturalium, illustratur ex Patribus.

XIX. Illustramentum ex Cicerone & Stoicis, qui finem in convenientia ponunt, quæ sententia explicatur.

XX. Aliud ex illis Stoicis, qui finem dicunt: *convenienter natura vivere*, quod explicatur.

XXI. Hactenus ostensum, quomodo materia Legum Naturalium, actus nempe ex ipsa objectorum natura ac conditione fluant, nunc de Forma sive obligatione. Ostenditur generatim, obligationem non fundari illo modo in objectorum natura, uti actus ipsi. Ubi *Augustini* sententia notatur & illustratur ex *Hierocle*.

XXII. Idem docetur speciatim de Natura DEI. Ubi veteris Ecclesie Doctores explicantur.

XXIII. Recentiorum Theologorum consensus.

XXIV. Obligationem non fluere ex humana natura præcise qua rationali: ubi *Ciceronis* sententia rejicitur. *Ambrosius* explicatur.

XXV. Rationem, quæ consensu gentium nititur, non fundare obligationem, ostenditur.

XXVI. Obligationem proprie fundari in *Creatione DEI ac Gubernatione*, docetur ex natura rei & Scriptura.

XXVII. Confirmatur ex consensu veteris Ecclesie.

XXVIII. Quicquid Legum Naturalium est, sive materiam sive formam spectes, voluntati divinæ adscribendum esse. Summa eorum quæ hactenus sunt tradita, illustrata ex *Hierocle* & *Augustino*. De Lege Æterna.

XXIX. Voluntas divina quæ patescit, lex est. Hinc respondetur ad propositam supra difficultatem de actibus naturæ ac per se honestis & justis.

XXX. DEUS voluntatem suam illo modo, ut dictum est, manifestans, seu Leges Naturales præscribens, se ostendit *justum & sanctum*.

XXXI. Quo sensu *justitia & sanctitas* DEO tribuatur. Essentialia DEI attributa hæc esse, ostenditur ex rei natura. Hinc alius juxta conceptum nostrum Legum Naturalium fons, *Essentialis DEI justitia & sanctitas*.

XXXII. Confirmatur ex Sacra Scripturæ dictis, quæ explicantur.

XXXIII. Illustratur ex Veteris Ecclesie Doctoribus.


XXXIV. Ex Veteri Philosophia.

XXXV. **Conclusio** ac summa totius tractationis.

CONSPECTUS



EXERCITATIO PRIMA,
 QUÆ EST
 DE
 ORIGINE
 LEGUM NATURALIUM.
 I.



Ccepit genus humanum excellentem præ reliquis animantibus naturam atque conditionem: non modò per eximias illas dotes, quibus *imaginem DEI* repræsentaverat, sed & per facultates quasdam naturales, quarum beneficio rerum naturas indagare, cognoscere, alterum cum altero conferre, præsentia cum futuris, noxia cum utilibus, dijudicare eadem, sententiasque inde exstruere, insuper sponte sua ac libero quodam motu ad hos illosve producidos effectus se determinare, actionesque ad eò sibi proprias expromere potest. Hinc *Ambrosius* noster eo loco, ubi prudentiæ principia tradit, rectè, *nihil, inquit, est magis, quo homo cæteris animantibus præstat, quàm quod rationis est particeps, causas rerum requirit generis sui authorem investigandum putat, &c.* Libertatem verò animi breviter, sed nervosè describit *Simplicius* in *Epicetum*: *Cum animus sic agit, ut ejus naturali actioni convenit, tum liber & sua sponte, intrinsecus à semetipso cietur.* Cicero hominem vocat *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij.*
 I. de Leg. Nec male pius *Cyprianus*, in sermone de *Baptismo Christi*: *reprobatio mali & electio boni sic anima rationali infixæ sunt divinitus, ut de hoc nemo rectè causetur, quia nulli ad harum rerum persecutionem deest scientia sive potentia, quia & quod agendum est, scimus: & quod scimus, facere possumus, divinæ nimirum gratiæ beneficio.*

de Off. I,
 26. Edit.
 Boecl. p.
 103.

Edit. &
 Interpr.
 Wolff. p. 8.

Ed. Bas. p.
 439.

A

II. Ne-

Handwritten notes and paper scraps on the right edge of the page, including numbers like 7, 13, 28, 10, 18, 6, 10, 50, 15, and 11.

II. Neque hæc Christianæ disciplina ullo modo adversantur: quanquam enim illa deturpationem memoratarum modò virium passim graviter deploret, eoque nomine *rudi* subinde *trunco*, *duroque lapidi*, *feræ* item *indomita* hominem comparet; *ingenue tamen fatemur: hæc non eò esse accipienda, quod homo post lapsum non amplius sit rationalis creatura, aut nihil boni malive intelligere, aut libere aliquid agere vel omittere queat.* In *Repetitione Solida cap. de libro Arbitrio.*

p. m. 661.

III. Naturalis insuper conditio, qua hominem in Iranclucem pronasci intelligimus, divino Numini eundem subjicit, ac excellentioris societatis membrum constituit, quod hic ceu assertum nobis concedi postulamus: alibi probatum ac inferius demonstrandum amplius & illustrandum. Incongruum verò fuerat, Naturam, sui creatorisque consciam, in varias tamen partes actusque flexilem absque efficaci norma, homines ad actus rectos seu naturæ ac conditioni objectorum congruos determinante existere. Itaque juris vinculum, quod *obligationem* cum aliis vocamus, accessit, quò animadverterent animalia isto modo comparata, se debere actiones suas ita instituere, ut naturæ ac conditioni objectorum, adversus quæ actiones tendunt, congruant. Hinc jam illa *dictamina rationis*: quæ, prout obligare censentur, *leges* vocamus: *naturales* verò, quia cum natura ac conditione objectorum, Dei ac hominum conveniunt, inque iis fundantur: quanquam rectè quoque propterea dicantur *naturales*, quod cum ipso homine, suo modo connascantur, & ratio ad naturam hominis spectet. Quo nomine divus *Paulus* inquit: *Gentes ostendere opus legis scriptum in cordibus suis.* Item: *in iisdem id, quod de Deo cognosci potest, manifestum esse*: priore loco naturales leges in universum, posteriore verò eas quæ Deum respiciunt, designaturus: Cæterum de Gentibus ait: *eas non habentes legem naturâ (φύσει) facere, quæ legis sunt.* Quod *Apostolus* hic indefinite ait de gentibus, id *Aristoteles*, *Gentilis*, pronunciat in universum de omnibus. Sic enim scribit *primo Rhetoricorum*: *Νέμω ἡγεῖν ὁ καὶ φύσις ἡ κοινὴ ὁ καὶ ἡ φύσις τῆς φύσεως τῆς φύσεως, lex communis, secundum naturam est, quam omnes*

Rom. II. 15.

I. 19.

cap. XIII,
p. m. 642.

omnes augurantur. Quinto verò *Moralium* vocat *δικαιοφρονία*; ju- cap. X. p. 84.
 stum naturale, describitque, quod ubique eandem vim habet. Sed
 rectè *Michaël Ephesius*, doctissimus illius Interpres addit: *apud ad loc. cit.*
plurimos haud perverse, sed secundum naturam sese habentes. Ni-
 mirum naturale vel id quod *secundum naturam* est, aut *naturâ fa-*
cere hoc loco, ut & in Scriptura Sacra idem est, quod *Stoicis*, re-
 ctè explicante *Clemente Alexandrino*: *convenienter natura vivere*, II. Strom.
 quod in bene ratiocinando positum est. ed. Lugd. p. 304.

IV. Itaque Sacris Scriptoribus pariter atque profanis, aūti-
 quissimis, jam tum in usu fuit, memorata antea rationis dictata le-
 ges appellare, iisdemque alterum à *naturâ* nomen indere. E re-
 centioribus tamen ingeniosus *Hobbesius*, *dictamina* isthæc ratio-
 nis, scribit, *obtinuisse* quidem *nomen legum*, sed *improprie dictarum*.
 Non certè, quod vim legum illis deneget, sed quod existimet, usum
 vocabuli innuere *vocem Imperantis, vel scriptam vel prolatam, ita,*
ut omnes, qui obedire tenentur, sciant vocem ejus. Quod certè de
 vulgari usu negari nequit. Si quis tamen, quomodo hæc subtilius
 magis quam utilius disputari possint, videre cupiat, adeat Tra-
 ctatum Theologi Kiloniensis *Petri Musæi, de Lege civili*, ubi ex cap. I.
 Scholasticis subtilius isthæc rimatur. Cæterum, postquam Legis
 jurisque nomina commutari cœperunt, idem factum est cum vo-
 cibus *Legis ac Juris Natura*: hinc *Jus Naturale Jureconsulti* vo-
 cant *Jus Gentium*, contradistinctum illi Juri, quod Naturale vocat
Ulpianus, quod *natura omnia animalia docuit*: Quæ descriptio
 quomodo explicari saniore sensu & aduersus iniquas (a) in dis-
 censuras defendi debeat, cordatiores Jureconsulti prolixius (z) in Jus-
 ostenderunt: nominatim (a) *Johannes Strauchius*, (b) *Hulderi-*
cus ab Eyben, (y) *Schilterus*. Itaque Legis Naturalis nomine hoc
 loco nihil aliud innuimus, quam præscriptum divinum mentibus
 hominum inditum, obligans ad id, quod divina humanaque natu-
 ra ac conditio postulat.

V. Cæterum à supremo Numine Legum istarum Naturalium
 originem arcessendam esse, nemo dubitare poterit: si modò,
 Deum existere creatorem rerum, curamque earundem agere per-
 sum-

summam malitiam non neget. Nam à quo quis assensum in generali-ssimis naturalis religionis capitibus non obtinuerit, is certè honestè de lege Naturæ, cunctos mortales obligante, sentire haud poterit, nisi à semetipso dissentiat: quanquam id facile largiri queat, notitias quasdam practicas, quæque ad hominem spectant, quas Leges Naturales vocamus, non posse non obtinere per humanam naturam conditionemque. Quæ mens si Grotij fuit, uti certè videtur, cum scriberet: *Etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana, hæc quæ diximus (sc. de legibus naturalibus) locum aliquem haberent,* nullam utique censuram meruit.

de J. B. &
P. prol. §.
XI.

VI. Sed in universum, quicquid est Legum Naturalium, Deo rerum auctori atque rectori, ceu primo fonti atque origin, non potest non adscribi ab homine, naturali saltem religione tincto: sic enim largietur, existere Numen, curamque rerum humanarum habere, id quod h. I. supponitur, atque, uti Cicero loquitur, *ut concedatur, postulatur,* alibi verò prolixius demonstratur. Sed & eo ipso, dum originem Legum Naturalium indagamus, illud idem, de quo modo diximus, magis quoque confirmatur ac illustratur. Manifeste verò originem illarum divinam docet scriptura, eo præfertim loco, quo antea Paulus legem mentibus hominum in scriptam esse asseruit: à quo enim alio id factū esse putes, quàm à Deo, qui *judicaturus est in illo die occulta hominum,* uti dicitur in sequentibus.

XXIII, 11.
12.

Itaque sapientissimus Hiob, qui legem Dei scriptam antecessisse vivendo creditur, *vestigia, inquit, Dei secutus est pes meus, viam ejus custodi vi, & non declinavi ex eâ, à mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi dictata oris ejus.* Ubi rectè Pineda ex veteri Doctore annotat: præcepta & mandata hic dici, *non quæ auditione accepta, aut scriptis consignata fuerint, sed quæ sine scripto, in nostris animis insita sint leges divinæ mentis vocibus.* Ut adeò vir sanctus Leges Naturales vocet *vestigia Dei, mandata labiorum ejus, vias ejus atque dictata:* originem Legis naturæ manifestè designans.

Comment.
in Jobum
l. c.

VII. Nimirum, cum formaret hominem ab initio, eique sufflaret in nares *spiraculum vitæ,* animam intelligentem legibusque naturæ

naturæ instructam eo ipso suppeditavit. Huc respexit *Johannes Chrysoſtomus dictus*, in oratione ad populum *Antiochenum* scribens, juxta Latinum Interpretem: *ab initio rerum, cum formavit Deus hominem, ipse indidit Legem Naturalem, quid verò sit Lex Naturalis, conscientia nobis explicavit, & ex se notam fecit notitiam rerum tum honestarum, tum earum, quæ ejusmodi non sunt.* Hinc diu ante *Lactantius* ex *Cicerone* vocavit *Deum Legis hujus inventorem, disceptatorem, latorem.* Neque male videtur *Seldenus* huc traxisse illud aliorum quorundam *Ecclesiæ Doctorum*, quando $\lambda\omicron\gamma\omicron$ cum *Gentilibus* vocabant rationem, qua legem universalem five Naturalem simul innui asseriebant, ita tamen, ut $\lambda\omicron\gamma\omicron$ non tam nudam ipsis hominis rationem significaret, quàm ipsum *VERBUM* seu *Numen*, quæ persona est *Trinitatis secunda*: quomodo cum $\lambda\omicron\gamma\omicron$ sumitur, ab ipso *Numine* atque ab ejusce imperio, autoritate & indicatione petitur, nec à scitis nuda ratione humana ortis emanasse dicitur *Lex illa.* Nimirum *Justinus & Clemens Alexandrinus*, ut & alii ista voce ita, ut dictum est, utuntur, quorum tamen philosophiam sub examen vocavit *Isaacus Casaubonus* in *Exercitationibus Anti Baronianis.*

Orat. XII.
col. 116.Inst. Div.
Ed. Bet.
p. 343.
de J. N. &
G. I. 8. p.
99.Ex. I. p. 17
seqq.

VIII. Caterum ipsa ista dictamina suâ quâdam vi vel arguente vel comprobante intra corda hominum bonos malosve actus, fatis luculenter testantur de Legislatore, cujus imperium ac dominium in homines se extendat. Quod ipsum *Apostolus* quoque explicavit loco antea allegato, & *Doctores* de *Lege Naturæ* passim, qui *Gentilium* quoque sententias certatim annotant, nominatim *Robertus Scharrok*, de *Off. sec. Jus Naturæ* cap. I. Ut adeò vix quispiam bonæ mentis sit, qui non *DEO* ceti autori Naturæ Legestribuat. *Strimesius* tamen, *Hobbessii* censor in illam sententiam *Hobbessum* allegat, quasi omne bonum à voluntate hominis suspenderet. Huc illa *Hobbij* verba allegat: *In statu merè naturali extra societatem, licebat omnia facere, quacunque & in quoscunque libebat.* Enim verò luculenta est ipsius autoris explicatio, quando feriò monet, se non hac eo scribere, quasi in *statu naturali quis in Deum peccare, aut Leges Naturales violare non possit.*

in Praxiol.
Apod. p.
29.
lib. de Cive
p. 13.

Sed loquitur de licentia respectu legū humanarū non existentium Alibi verò expresse, *Lex Naturalis*, inquit, *est, quam Deus omnibus hominibus patefecit, per verbum suum æternum.*

IX. Sed hæc generatim ita dicta de Origine Legum Naturæ difficultate carent. Nondum tamen, si à Deo illas provenire certum sit, propterea quoque expeditum est, quoniam ex rivulo in divina essentia istæ derivari debeant. Quanquam enim in Deo nihil sit distinctum atque diversum, ejus tamen perfectiones & attributa distincte concipiuntur. Deinde Leges Naturales spectari possunt non modò secundum id, quod existunt, sed & secundum naturam suam, quam habent, vimque obligandi, qua pollent. Licet igitur constet: Deum voluisse, ut istæ notitiæ practicæ, *Leges Naturales* dictæ, in homine existant, non tamen propterea ob ipsam illam *Legalem* voluntatem, hujuscemodii naturam prorsus sunt nactæ. Rectè enim omninò *Augustinus* illo scilicet sensu, ut infra dicitur, eo loco, ubi de *Lege Æterna* prolixè agit, scribit: *quædam, non ideò mala esse, quia vetantur lege, sed ideò vetari lege, quia mala sunt.* Sic etiam ex altera parte, quædam justa sunt, quia Deus vult, quædam voluit, quia justa sunt, eodem sensu.

Tomo I.
de lib. Arbitrio lib. I.
col. 605.
Ed. Bas.

I. Hæres.
cap. XX.
C. XXIV.
de Carp.

X. Fuere autem jam tum sub initium primitivæ Ecclesiæ, ne quid de aliis extra Ecclesiam h. l. dicamus, qui negabant: *esse naturaliter operationes justas.* Quod *Irenæus* annotavit de *Simonianis*. Et de *Carpocratianis* illorum sobole: *Eos sola humana opinione negotia bona & mala dicere.* c *Marcionita* deinceps ad exemplum *Gnosticorum libertatem omnium rerum jactabant*, nec minus turpiter vivebant quam illi, sicut & de *Valentinianis* idem notat *Augustinus* in *Tractatu de Hæresibus ad Quod vult Deum*. Nimirum illorum temporū hæreses in primis infestæ fuerunt bonis moribus legumq; honestati. Postea, ubi *Augustinus* adversus *Pelagianos* subtilius disputare cœpit atque severius, de peccati originalis propagatione, *Pelagius*q; morosius illius rei modum urgeret: *Augustinus* verò, ut acutissimi ingenii Doctor, suppositâ animarum immediatâ creatione modum propagandi, salva justitia divina, demonstrare, & *Pelagii* objectionibus se expedire difficul-

ter

ter posset; *Scholastici* deinceps varias ejus responsionibus succurrendi vias tentavere, quas inter hæc quoque fuerat: Absoluto quodam dominio potuisse Deum animas, quas creat, labe peccati contaminare, malis affligere, ac demum prorsus damnare, salva justitia. Nimirum adeo titulum sibi confingebant, sub quo, si modo Numen ita velit, injusta justa forent, mala bona, perversa denique, recta: admirabile prorsus subsidium firmando absoluto Decreto *Reformatorum*, ac propterea à doctissimis quibusdã illorũ viris magno cum applausu acceptum. Hinc in illorum scriptis hujuscemodi reperias sententias: *Quicquid Deus fieri vult, justum est. Quicquid interest discriminis inter vitium & virtutem, id omne ex liberrima DEI voluntate profectum. Deus ad falsum credendum potest obligare. Deus posset imperare blasphemiam, perjurium mendacium.* Quæ licet quoad partem aliquam commodam nancisci queant interpretationem (voluntati enim divinæ ejusq; beneplacito recte adscribuntur *Leges Naturales*) perversæ tamen ab ipsis explicantur, eumq; unice in finem asseruntur, quo facilius obtineant, Deum in voluntatis suæ decretis nihil prorsus respicere, sed simpliciter decernendo constituere, bona justa & recta facere. Quamquã in iisdem illis ante adductis sententiis, adversarios habeant, viros haud minori eruditione insignes, quam ipsi sunt.

XI. Sed & jam pridem *Scholastici* & *Casuista*, quos vocant, in diversas hic abiire sententias, quas in classes redactas videas apud *Dianam*, *Azorium*, aliosq;. Sunt vero illæ ita plerumque comparatæ, ut vel obscurent doctrinam hanc de Origine Legum Naturæ, vel pervertant prorsus, vel etiam in blasphemias impie transferant, ut recte sane de ejuscemodi Doctoribus judicaverit *Wilhelmus Wendrockius* in notis ad *Montaltii literas provinciales*: *longe fuisset ipsis melius, nihil didicisse, id enim demum studio consecuti sunt, ut nativum in se rationis lumen extinguerent.*

XII. Cæterum, cum cordatiores viri hoc seculo doctrinam de Legibus naturæ curatius explicare, nucleumq; pro putaminibus orbi exponere niterentur, variæ rursus in præsentis quoq; de Origine *Legum Natura* capite ortæ sunt dissensiones, magno sub-

inde

inde partium æstu continuatæ. Quo pacto Declarationes, Animadversiones, Specimina, Vindiciæ, Spicilegia &c. prodire. Nos absq; studio partium breviter ac perspicue nostram sententiam per momenta consignabimus.

XIII. Itaq; divinæ voluntati ejusq; beneplacito rectè quidem adscribi *Leges Naturales*, dubio caret: Deum enim illas promulgasse, inq; mentibus hominum extare voluisse, jam constat. Cæterum potuisse summum istud Numen diversa prorsus, atq; divinæ suæ naturæ opposita in rerum natura constituere, experientiâ ipsâq; creatione rerum comprobatum est. Ita, cum ipse sit immortalis, incorruptibilis; non tamen adversabatur ejus bonitati, producere creaturas, quæ sunt natura mortales, & corruptioni obnoxia. Porro: quemadmodum perfectissimo Numini nequaquam erat dedecus, condidisse creaturas, perfectionibus istis, quas *physicas* vocamus, destitutas, ita nec illud: quod moralibus carentia perfectionibus, hoc est, justitia, sanctitate, veritate, misericordia, & similibus, produxit animantia: neq; enim hoc quicquam imperfectionis in DEO ponit. Ergo meræ voluntatis fuit & liberrimi arbitrii, neq; essentia ejus ac naturalis perfectio postulabat, ut DEUS ejuscemodi animal crearet, quod legibus naturalibus, adeoq; justitia & sanctitate esset instructum. Quid si enim bestias duntaxat condidisset, quid censuræ propterea meruerat? quod si bruta titulo hominis designari moris fuerat, etiam hominem quendam sine lege nasci non absurdum foret. Nimirum: *non alia causa rationi consentiens rerum omnium creationis adferri potest, quam quæ ab essentiali DEI bonitate proficiscitur. Deus, quia naturâ bonus est, quæ maxime sibi existunt similia, prima in rerum naturam produxit. Secunda autem, quæ mediam sui referunt imaginem. Tertia verò & ultima quæ ex omnibus sibi conformibus, à divinâ imagine sunt quam maxime remota atq; distantia. Hierocles in carm. Pyth. p. 20.*

XIV. Enimverò postquam Numen Divinum talem naturam atque conditionem, quam humanam vocamus, formare decreverat: rerum seu objectorum actionumve ejuscemodi inde resul-

tavere

tavere respectus, per quos aliqui actus, ceu convenientes cum natura ac conditione humana, itemq; divina, ac ab iisdem veluti dictati aestimantur, alii verò ceu minus convenientes atq; rejecti. Ita actus honoris divini, dilectionis, &c. si consideres in homine mentem, unde illi promanare possunt, inq; Divino Numine bonitatem naturamq; summè perfectam; ad utramq; ita se habent, ut alii, & his quidem adversi, veluti dehonestatio ac contumelia, nec huic congrui sint, nec illi convenientes. Naturam enim ita formavit DEUS, ut bonum appetat diligitq; suo quodam instinctu: cum verò DEUS ceu summum Bonum humanæ menti se præbeat considerandum; inconveniens certe fuerit, & ratione DEI & ratione hominis, si ad odium DEI aut averfationem ejus homo fuisset obligatus. Sic etiam per naturæ quendâ affectum admiramur veneramurq; id, quod egregium est ac præstans præ cæteris. Est autem DEUS naturâ in summo gradu perfectus. Fuisset itaque profus absurdum & contra naturam, si ad contrarios honori actus Numen nos obligaret. Oportuit ergo naturam prius mutari ac perverti, quam ad alium cultum naturalem obligari fas erat. Sed & à quo quis boni quid obtinuit, ad eum naturali quâdam inclinatione fertur. Itaque cum DEUS ut autorem bonorum, creatorem providumque Rectorem se innotescere patiatur; incongruum plane fuerat, si non honorari se atque coli cupivisset. Pone enim, Deum non esse honorandum, non amandum, annon idem est, ac si dicas: DEUM non habendum pro summo Bono, pro ente perfectissimo, rerum omnium conditore ac conservatore? saltem hæc prioribus illis continentur. Sic *Leges Naturales*, quæ erga Numen Divinum exercentur, ex ipso objecto, natura nempe divina veluti specificantur, illamque, quam habent, naturam mutuuntur. Hinc DEUS ipse, cultum sui inculcans, ad illam suam naturam, unde varia in nos profluxerunt beneficia, provocare videtur, quando per prophetam ait: *Si pater sum*, Mal. I, 6. *ubi est honor meus, si Dominus, ubi reverentia mei?* Et eâdem ratione haut dubiè alibi leges de cultu sui præscribens, fundamen-

tum præstruit, itidem à naturâ ac conditione suâ divinâ desum-
 tum. *Ego, inquit Dominus tuus Jehovah.* Hinc recte & ap-
 Exod. XX, 2. Strom. VII. p. 504. positè *Clemens Alexandrinus, cultum Dei, seu officia erga DE-*
UM vocat *θεοπροσιαι*, sive, ut interpres extulit, *habitum qui*
conservat id, quod DEUM decet: Cultorem verò DEI *θεοπρο-*
σιαι, seu, *qui convenienter Dei Majestati DEUM colit,*
 hoc est, prout magnitudini ejus ac perfectioni congruunt
 est. Rectius, quam *Lactantius, qui, quid colas, interest,*
 Inst. Div. IV, 8. p. 272. scribit, *non quemadmodum colas, aut quid preceris.* Cui tamen
 IV, 3. p. 219. sententiæ, saltim si verba spectes, directè adversatur, quod ante
 V. 15. p. 308. & II. 16. p. 141. in Quæst. Ed. Bas. p. 606. præstantiam atque, præminentiam non observarunt *Gentiles*
 Rom. I, 13. in cultibus suis, itaque *Paulus* graviter de iis conqueritur:
gloriam ac Majestatem DEI in imagines creaturarum ab illis esse conversam.

XV. Illustrant hæc egregiè id, quod supra posuimus, *Leges*
nempe Naturales officia erga DEUM spectantes, in ipsâ
 divina fundari natura ceu objecto. Sed perspicue prorsus at-
 que eleganter inprimis explicavit hoc *Hierocles Gentilis*, quâ
 ad Pythagoricum istum versum:

- - - *Immortales divos pro lege colunto,*
 p. 18. Scribit: *Νέμοι ἐν θεοῖς ἀντὶ τῆς χάριτος.* *Legem hanc in divinâ naturâ*
positam esse. *Honorem verò legi congruum: essentia eorum, qui*
honorantur, notitiam, & ad eorum imaginem, quantum fas est,
effusionem. Rectè utique & Christianæ Philosophiæ conveni-
 enter.

XVI. Nec

XVI. Nec minus *Leges Naturales*, quæ adversus hominem, semetipsum aut alterum exercentur, in objecto, naturâ nempe humanâ ac conditione fundantur, ut ad eò non possint non esse tales, siquidem illa integra subsistere debeat. Nam, cum homo per naturam, ut supra diximus sit rationalis, causasque rerum ad eò cognoscat, *judicio polleat, ad estimandum, quæ delectant aut nocent, nec presentia tantum sed & futura, & quæ in utrumvis ducere possunt*; postulabat sane hæc natura hominis, ut ad ejuscemodi actus obligaretur quos *prudentiâ vocamus*. Frustra profecto fuisset illa facultas discernendi, judicandi, comparandi, si perinde fuisset, quicquid eligeretur, sive conditioni statuique hominum proficuum atque congruum, sive damnosum eidem & incongruum. Si verò ad eligendum noxium humanæque naturæ adversum præ illo quod eidem conveniens est, adstringi poteramus; ipsum naturalem affectum in utilitatem suam tendentem, non modo everti oportuisset, sed & extremam humani generis perniciem accelerari. Ergò ipsa natura manifeste docet, illos actus, quos prudentiæ deputamus, Lege Naturali injungendos fuisse. Atque hæc *Natura Lex* jam se per reliquos diffundit, sive enim temperantiæ, sive justitiæ, seu fortitudinis denique præcepta respicias; in singulis illis prudentiæ actus se produnt, neque hi absque ipsis, aut illi sine his subsistere possunt, uti prolixè & eleganter ostendit *Ambrosius* in libro I. de off. Itaque & *Hieronymus* illud Stoicorum approbat: *Virtutes omnes inter se esse connexas*. *Gregorius Magnus* *Moralium* libro XXII. scribit: *Una virtus sine aliis aut omninò nulla est, aut imperfecta*. Nimirum dum una Lex Naturæ ab ipsa naturâ veluti dicitur, reliquæ etiam propter intimam suam illam cohæsiõnem per eandem illam naturam constitui, ac fundari quodammodo intelliguntur.

XVII. Sed luculentius hoc de singulis, illis præsertim, quæ adversus alterum exercendæ sunt naturæ legibus, inque justitiâ proprie sic dicta consistunt, patebit, si quis consideret:

B 2

Hominem

Grof. pro-
leg. 5. 2.cap.
XXVII,
108.
in Epist. ad
Pamachiũ
26.

cap. I.

Cicero de Off. Tom. IV. p. 465. *Hominem præter id, quod rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, Similitudines comparat, & rebus presentibus adjungit atq; annectit futuras, naturâ quoque conciliari homini, & ad orationis & ad vitæ societatem, itaque à natura formatum esse, ut queat adjumentum ferre alteri, vel studio, vel officio, vel operibus, vel quolibet alio modo, ut loquitur Ambrosius.*

Offic. I, 28. Vicissim homo sui suorumque conservandi studiosissimus, egenus tamen per se ac ipse alieni auxilii indigus. Ex quo facile constat: *Deum, qui pius est, animal nos voluisse esse sociale, ut loquitur Lactantius, idem qui deinceps addit: Huic, qui se ipse dissociat, non ritu hominis, sed ferarum more vivendum est, quod si fieri non potest; retinendum est omni modo vinculum societatis humana: quia homo sine homine nullo modo potest vivere.*

Inf. Div. IV, 10. *Hoc est quod Deus ipse dixit, cum hominem conderet: Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium. Ubi non malè Ambrosius: ad adjumentum ergo data mulier est viro, quæ generaret, ut homo homini adjumento foret, adjumentum enim homo nisi de homine habere non poterat. Ex omnibus igitur animantibus nullum animal simile, & ut absolute dicamus, nullus adjutor hominis inventus est. Hinc concludit: Ergo secundum Dei voluntatem vel naturæ copulam invicem nobis esse auxilio debemus, certare officiis, ac velut in medio omnes utilitates ponere: id quod Samuel Puffendorfius eximio opere de I. N. & G. prolixius & ex professo demonstravit.*

Gen. II, 18. XVIII. Sic itaque *Leges Naturales* è Numinis voluntate proflexerunt, ut tamen in ipsis objectorum, ad quæ istæ respiciunt, naturis fundentur, ac propterea nec cæ ratione, quâ leges positivæ & ceremoniales, in se mutabiles, & meræ voluntati Legislatoris qua tali adscribendæ, divino arbitrio deputari debent: quin potius illas ita à DEO promulgatas esse censendum est, ut non potuerit aliter disponere, salvâ rerum objectorumque naturâ ac conditione. Hinc Tertullianus libro de spectaculis: *Hæc est veritatis integritas, & qua ei debetur, disciplina plenitudo, &*

Ed. Rhen.
699.

aqua

aqualitas timoris, & fides obsequii, non immutare sententiam, nec variare iudicium. Non enim potest aliud esse, quod vere quidem est bonum seu malum. Augustinus libro II. de libero Arb. non prudentiâ cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantiâ, aut justus justitiâ hominis alterius quisquam efficitur: Sed aptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum. Patet ex his id utroque loco asseri, quod prolixius demonstravimus.

cap. XIX.
Tom. I.
col. 641.

XIX. Salse propterea Cicero ridet illos, qui opinione jus hominum constare autumant. I. de Legibus: Quod si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis Judicum, jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potestas est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciant, ut quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? aut cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? atqui nos legem bonam à malâ nulla alia nisi naturali norma dividere possumus, nec solum jus & injuria à naturâ judicatur, sed omninò omnia honesta ac turpia. Nec parum illustramenti è Stoicorum Philosophia huc accedit, utpote qui summum Bonum in eo collocabant, quod dicitur: natura convenienter vivere. Id quod nonnulli ex iis de divina natura explicabant, alii de humana, rursus alii de divina humanaque simul, nonnulli denique in convenientia absolutè sic dicta finem ponebant. Quemadmodum Lipsius in manu ductione ad Philosophiam Stoicam ex illis docet lib. II. dissert. 14. seqq. Collineant verò huc potissimum illæ sententiæ: finem seu summum Bonum ponendum esse in virtute, id quod expressit Zeno Stoicus apud Clementem Alexandrinum, cujus hæc verba: Zeno Stoicus finem censet secundum virtutem vivere. Archedemus apud Diogenem Laërtium: omnia officia implentem vivere. Hunc itaque finem subinde

inde *quodammodo* vocabant, quam vocem Cicero expressit per nomen *Convenientia. tertio de Finibus*. Ipse quoque Seneca virtutem *convenientiâ constare* scribit, nec obscure innuit, quid convenientiæ nomine velit intellectum, quando *perfectam virtutem esse debere*, addit, & huc requirit *tenorem vitæ per omnia consonantem sibi; hoc autem non posse fieri, nisi rerum scientia contingat, & ars per quam divina & humana noscantur*. Nimirum non unus alterve actus virtutis perfectum in homine finem seu Summum Bonum arguunt, sed oportet omnes actus per universam vitam in virtute sibi invicem congruere. Ejuscemodi verò congruentia actuum ex ipsa rerum, divinarum præsertim humanarumque natura rectè perspecta dependet, cujus rei ratio nulla alia solidior esse potest, quam hæc, quod, quamdiu quis solidum veritatis fundamentum haud penetravit, ancipitem hære ac dubium, nec sibi constantem in sententia sua necesse est. Rerum itaque divinarum humanarumque natura hæc dubie sollicitius propterea indaganda est, ut fundamentum ad eò perno-scatur, quo semel cognito, omnis deinceps vita absque metu erroris in virtute officiisque Lege Naturali præceptis sibi congruat. Quæ si mens, uti videtur, Stoicorum est; quid aliud ajunt, quàm quod nos supra demonstravimus, in ipsa natura ac objecto fundari leges virtutesque: quam si quis rectè exploraverit, sine metu erroris, ac constanter leges istas observare, ac juxta tenorem virtutis vivere potest. *Si vis eadem semper velle, vera oportet velis*, scribit Seneca *supra allegato loco*. Vera autem sunt cum natura rei convenientia. Ergo secundum Seneca mentem, qui actus honestos seu virtuti congruos semper volet, aut expromere cupiet, eum oportebit vera, hoc est, naturæ rerum convenientia velle.

XX. Huc quoque respicit istud: *convenienter natura vivere*, quod Epictetus extulit: *Nosse voluntatem natura*. Diogenes apud Clementem Alex. *rectè ratiocinari & dirigere in electione eorum, quæ natura consentiunt*. Per naturam autem vel Deum vel mentem, seu humanam naturam intelligunt, vel utrumque,

ut

ut prolixè offendit *Lipsius* l. c. Non quod DEUS, ac reliqua, quæ nos extra Deum creaturas vocamus separata sint atque diversa: Deum enim mundo rebusque omnibus, ceu formam partibus immixtam esse, statuebant. Videatur *Jacobus Thomassius* in *Tractatu de Stoicâ mundi exustione*. Hinc illud *Zenonis* apud *Laërtium*: partes sunt nostra natura illius communis & uniuersa. Istud *Seneca*: omne hoc, quod vides, unum est: membra sumus corporis maximi. Nimirum, si id quod rectum est in hac sententia, quodque innui videtur à Stoicis, respiciatur; cuncta communi veluti spiritu quodam aguntur, adque finem suum diriguntur. Est autem hæc vis quædam divina seu à Deo proueniens, rebusque ipsis indita. *H. Grotius* in libello de *V. R. C.* vocat *rationem extrinsecam, que efficaciam suam imprimi*. Hæc divina vis sive efficacia, quid aliud est, etiam secundum ipsos Stoicos, quam mens in homine, seu, quicquid est humanæ naturæ ac conditionis propriè talis, quæ per se tendit ad finem hominis, cum qua quid convenit, *rectum, justum, bonum*, ac *secundum virtutem* esse, *Chrysippo* asseruit: addidit verò congruentiam cum natura communi. Eadem nempe divina vis, prout se per omnia diffundit, *communis* quædam *natura* est, quam Deum vocant, atque ad eò communi naturæ congruere, vel eidem convenire, nihil aliud est *Chrysippo*, quàm Deo congruere. Dum verò Deum ^{ὁμοῦ} vocant *Stoici*, inque convenientia cum illa honestatem ceu summum Bonum ponunt, ex ipsa simul vi vocis patet, genium veluti ac internam Dei constitutionem eos respicere, quemadmodum *natura propriæ* titulo mentem hominis designantes, internam ejusdem conditionem respiciunt. Sic utramque & divinam & humanam naturam normam seu fundamentum honestatis legumque Naturalium constituunt. Hinc & voces normam denotantes adhibere in hoc argumento consueverunt: ὁμοιοτάτης, Rectam rationem, quæ est *SECUNDUM naturam* interpretabatur *Diogenes Babylonius* apud *Laërtium*. *Plutarchus Stoicorum* sententiam explicans, scribit, eos *essentiam boni collocare in electione*

Dissert.
XIV.

P. 127

electione rationabili JUXTA naturam. Nimirum quod ex Cicerone supra annotavimus, *bonum non est in opinionibus sed in natura.* Allegat quoque Lipsius hunc locum, rectumque & grave judicium addit secundum Stoicos: *Verissimè, in natura, inquam illa duplici communi & nostra,* hoc est, divina & humana. Cæterum loca hic ex Stoicis allata è Lipsio nunc desumimus, selectus verò, ordo, & commentatio nostri sunt laboris.

XXI. Quanquam verò *Leges Naturales,* ita uti dictum est, sint comparatæ, quoad *materiam,* seu actus suos quos præcipiunt, non tamen ipsam *obligationem* propriè dictam, animam veluti ac vim Legum ex illa ratione respectuque actuum immediatè fluere, ac fundamentaliter constitui, existimaverimus. Licet & ipsa ista obligatio, humanæ naturæ utpote liberæ ac flexili imperioque subiectæ, & ad finem suum efficaciter assequendum ordinatæ, sit congrua. Intelligimus autem obligationis vocabulo *qualitatem moralem operativam, quâ quis præstare aut admittere vel pati tenetur aliquid.* Vel ut Jureconsulti: *Vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei præstandæ:* ubi præstationis vocabulo ea quoque intelliguntur, quæ præstanda non sunt, morali tamen ac civili ratione talia æstimantur. Pone enim, quicquid in rerum natura est, sua sponte emeruisse, pone item, instar fungi cuncta è terra propullulasse, adedque & homines isthac sua natura præditos: quo titulo quæso ad hos potius actus quàm ad alios te censebis obstrictum esse? respectus iste congruentiæ ac convenientiæ cum natura præcisè sic dicta, de quo antea diximus, haut quicquam menti suggerit, quàm quod actus alii cum tali natura sponte pronata cohæreant, eidemque proficui sint, alii verò illam naturæ cohærentiam veluti rumpant, eique adversi sint, atque damnosi. Sed quomodo quis per illum convenientiæ & disconvenientiæ respectum tanquam per vinculum quoddam apud animum teneatur atque constringatur, sensuque pœnæ, qua dignus sit, ni faciat, quod ita congruum est, afficiatur, nulla certa ratione excogitari potest. Nam si cuncta cum homine forte fortuna

sunt

sunt enata, ipseque inter illa veluti fungus; unde debiti aut pœnæ sensus proveniet? *Augustinus* quidem, *Legem Æternam explicans*, inquit: *Iustum esse, ut omnia sint ordinatissima.* Neque negari potest, in ipsa rerum natura, per se considerata, ordinem quendam naturalem esse, qui per inconvenientes actus turbetur. Sic verbi gratia: positâ natura humana emergit certus quidam ordo inter hanc & actus humanos, vi cuius ordinis alii cum ipsa cohærent, alii minus: Sed, nisi supponas, quod *Hierocles* scribit: *non fortituito ordinem cuncta sortit esse, sed à conditoris lege discrimen rerum proditisse, congruumque naturarum præstantiis ordinem à Deo illa adeptâ;* actus sanè, ordinem naturalem, èque rebus sponte natis, (quod hic declarationis causa fingimus) ortum, turbaturos, non nisi deflexionis ac aberrationis physicæ à natura quis arguere poterit, quemadmodum alios defectus naturales.

XXII. Ita supra *timorem, dilectionem, admirationem ac venerationem* divinæ naturæ suo modo congruere, adeoque per se ad illam ordinatos esse actus, demonstravimus, licet h. l. negemus, ullam ex ista congruentia ac ordine præcisè, fluere obligationem. Nam si potentiam consideres; metuenda illa quidem, sed quomodo animus ab ea afficiatur, ita, ut veluti pondere quodam prematur, ac, nisi Enti, dicto modo affecto se subiciat, pœnam se commeruisse, iudicare valeat, minime patet. Quemadmodum prolixè adversus *Hobbesum* demonstravit *Puffendorfus*. Sin excellentiam atque incomparabilem DEI præstantiam & bonitatem; venerationem illa quidem & amorem quendam per se excitant, nequaquam verò obligationem producant aut subjectionem. Veteres quidem Ecclesiæ Doctores non rarò ab excellentia hominis, in ratione posita, dominium in bruta vel irrationales partes hominis arcescere instituerunt: qua ratione multo magis mortales per infinitam excellentiam & incomparabilem præstantiam Divino Numini subicerentur eique obligarentur. *Augustinus*: *dic mihi, cum manifestum sit, viribus caterisque officiis corporis à plurimis bestiis hominem facile superari, quanam res sit, qua homo excellit, ut nulla ei bestiarum ipse*

C

autem

I. de Lib.
Arb. p. 607.ad carn.
Aur. Pych.
p. 23.de I. N. &
G. I. 6, 10de Lib.
Arb. Tom.
1. col. 607,
608.

autem imperare multis possit? subjicit deinceps: non ordo rectus aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Hinc concludit: ratio vel mens vel Spiritus, cum irracionales animi motus regit, id dominatur cui dominatio lege debetur eâ, quam æternam esse comperimus. *Bastlius*: in quo est Imperium? in rationis opulentia: quanto inferior est homo viribus corporis, tanto superior est suppellectile rationis. Faciamus hominem ad imaginem nostram, hoc est, dabimus ipsi rationis facultatem, & imperet: statim ut conditus es, etiam princeps conditus es, imperiale es animal ô homo. Hinc & *Philo Judæus*, Opificem animal hoc (hominem) naturaliter ratione præditum, re ipsa constituisse regem omnium sub luna terrestrium, aquatilium, volucrium. Enimverò perfectionum gradus in substantiis naturalibus nequaquam importare subordinationem aut unius ab altero dependentiam, in confesso est. Neque, si quis præstantior altero sit, iudicio, aliisque dotibus instructior; propterea statim dominatum in illum, nisi stulte prætetendit. Hinc recte de *I. B. & P. II.* 22, 21. *Grotius* inter injustas belli causas retulit, si quis alterum eo nomine armis subigere velit, quod dignum existimet qui serviat. 1. 6. 11. Conferatur *Pufend.* de I. N. & G. Neque pii veteris Ecclesiæ Doctores aliud, quam congruentiam aliquam, naturalemque quendam ordinem, quam *Augustinus* legem Æternam vocavit, innuere intenderunt.

XXIII. Itaque nec orthodoxi recentioris Ecclesiæ Doctores obligationem hominum erga Deum ab excellentia ejus aut præ eminentia derivare sunt ausi, sed ab operibus, creatione, regimine &c. *B. Hulfemannus* in *Breviario*: *Dependentia hominis à Deo ejusque obligatio ad Deum primum cognoscitur ex creatione, deinde ex gubernatione creaturarum &c.* Et in supplemento: *Creatio est primum fundamentum, seu vinculum obligans creaturam rationalem ad colendum creatorem & eidem obediendum.* *B. Broshmandus*: omne jus, quod DEUS sibi vindicat in creaturas, veluti æquitate temperatum est, ita nititur aliquo DEI in creaturas beneficio. Si enim quicquam in rerum natura esset, quod per

in Hexa-
mero H6.
X.p.m. 81.

de mundi
opificio p.
m. 14.

de I. B. &
P. II. 22, 21.

1. 6. 11.

cap. III. §. 1.

Art. de Præ-
dest. cap.
III. quæst.
7.

per actionem nullam divinam esset id, quod est, nullo certè jure, illud DEO subditum dici possèt, eo quod à DEO non dependeret, ac ea propter sui juris essèt.

XXIV. Haut magis ex congruentia cum humana natura quà tali quicquam obligationis arcessere fas est: sive respicias ipsam in homine rationem ejusque dictamen, absque Legislatoris sensu consideratum, sive naturalem istum eximiam societatis appetitum. Nam quod primum attinet, præter ea, quæ jam ante notavimus, quæque hic quoque locum reperiunt, observari potest: mentem ejusque dictamen in ipso homine obligando esse partem, obligari verò quempiam à seipso absque interveniente altero, in quo jus obligandi est, vix luculentius animadverti potest, quam absurdum sit, quam si ponas: hominem per seipsum existere cœpisse, vi materiæ sponte erumpentis: quæso te, siquidem animum à præjudiciis liberare, præceptisque aliorum sententiis vindicare potes, num isthanc materiam, & quicquid ei superstruitur, aut ex eadem resultat respectûs ordinisve, obligationem animo inducere posse credis? Unde jus obligandi, unde vis illa moralis conscientiam stringens? Si dicas: hominem à seipso provenire, fingi duntaxat, esse verò à DEO conditum. Respondeo: hoc ipso fateris obligationem à DEO esse arcessendam, non verò ab ulla parte humanæ naturæ, quà talis: instituimus autem hic fictionem, non ut inde immediatè veritatem eliciamus, sed abstractionem duntaxat rerumq; præcisionem sub figmento expressius repræsentamus, ut dilucidius dijudicari queat, si DEI conceptum seponas, quid ex ipsa humana natura qua tali sequatur. Graviter quidem & magnifice, si verba ponderes, Cicero: *satis nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possemus, nihil tamen avarè, nihil injustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum. secundo de off.* Sed nequaquam contemnendum de his judicium Rachelii existimamus: *Hæc quidem Stoicà magnificentia jactitantur. Alias si DEUM quis fallere posset, quæ foret religio, quodnam jus? quandoquidem omnis ejusmodi obligatio à superiori autoritate su-*

Ed. Rach.
P. 446.

um nexum & vim habet. Neque recte nobis quispiam hic opposuerit illa elegantissimi *Ambrosii*, quibus Ciceronem h. l. videtur imitatus: *Justus legem habet mentis sua & aequitatis ac justitia sua normam, ideoque non terrore pœnae revocatur à culpa, sed honestatis regula.* Non enim mentem præcisè, de qua hic loquimur, legislationem habere, adeoque obligationem constituere asserit, sed per mentis legem intelligit vires, Spiritus Sancti gratia renovatas, ut patet ex allegato loco, *1. ad Tim. I. Lex non est justo posita:* non sane quod justus legi non obstringatur, sed quod potius Spiritus Sancti mentem renovante gratiâ commotus, quàm rigore legis constrictus, honestati studere debeat, eodem sensu quo *D. Paulus legem mentis sua*, renovantis Spiritus S. gratiam vocat in *Epistola ad Rom. cap. 7.*

XXV. Sivero rectum rationis dictamen propterea obligare dicatur, quod Gentes in id consentiant, uti supra notavimus ex *Aristotele*; id assumitur, quod falsum est, si cunctæ gentes hîc subaudiantur. Neque enim hætenus ad omnes singulasque orbis terrarum gentes humanæ notitiæ limites ita se porrigunt, ut dici queat, omnes in rectæ rationis dictamina consentire. Quin imò de notioribus & cultioribus satis constat, maximam officiorum naturalium partem, turpissimis facinoribus, seu more, seu lege publicâ approbatis, illas violasse, ut ostendit inter plures eximiè *Georg. Calixtus in Theol. Mor. cap. de Legibus.* Ne quid de eo dicatur, quod nondum expeditum sit, quamnam Gentes morationum nomine æstimari debeant, cum *Græci Latinos, Latini vicissim Græcos, Ægyptios, Persas, Chaldaeos, Æthyopas, Celtas, Schythas aliosque pro barbaris habuerint*, notante *Seldeno*, ut ad eò omnia in incerto hic ponantur. Etsi vero manifesto consentirent in ista Legum Naturalium placita, ab unâ tamen adversus alteram, cum omnes sint æquales ejusdemque originis, quomodo obligatio possit oriri, percipi haut potest. *Conf. Rachel. in proleg. ad Off. Cic. Socialitatem* verò per se non importare obligationem, jam tum ab omnibus est concessum, idemque hætenus allatæ rationes abundè demmonstrant. XXVI. Ni-

Off. III. 5.

v. 9.

p. 49. seqq.

de I. N. &
G. I, 16.
p. 28.

35.

XXVI. Nihil itaque nunc superest, quàm, ut, si quàm est obligatio Legum Naturalium, quæ per respectum quendam ex superius allatis fundetur, conditio ista pro fundamento ponenda veniat, qua Deum ut *creatorem* omnium rerum *gubernatoremque*, in primis verò hominum consideramus, hominesque adeò ceu creaturas ejusdem atque servos seu subditos concipimus. Animadvertimus nimirum, naturæ quâdam vi nos impulsos, conciliari illis, à quibus multa bona accepimus, id quod vel in brutis etiam quodammodo deprehendimus, ut eo nomine populum suum Numen sanctissimum graviter increpet per Prophetam: *filios educavi eosque extuli, ipsi autem à me defecerunt. Agnoscit bos possessorem suum, & asinus praesepe domini sui. Israël autem non agnoscit, & populus meus non advertit Dominum nempe suum ac benefactorem.* Hinc per *creationem* incomparabile beneficium, utpote quo vitam, mentem, & quicquid boni nobis est, obtinemus, non potest non homo intime affici, ac tenerrimo quodam affectu erga Deum imbui: praesertim cum existimet, Deum rectius quàm ipsummet sibi prospicere posse actuque suarum rerum non modo curam suscipere, sed & multis indices ornare beneficii, regimenque præterea in ipsum exercere, cui se homo facto subicit, dum providentiam Dei ac gubernationem, suamque adeò ab illo dependentiam agnoscit. Hujus itaque imperia ac mandata, cui se facto obnoxium esse testatur, undeque habet, quod existat ac feliciter degat, haut rectè abnuui aut iis resisti, pœnasque, à creatore ac Domino potentissimo irrogandas, refragando contrahi, conscientia judicat. Istanc verò qualitatem, instar vinculi animum tenentem, voluntatemque hominis dicto modo flectentem, obligationem antea vocavimus. Fundatur itaque obligatio propriè in creatione Dei, ejusque gubernatione. Quo respicere videtur Deus ipse *apud Malachiam: Filius honorat patrem & servus Dominum, quod si pater sum, (huc pertinet illud Lactantij, solus pater vocandus est, qui creavit) ubi est honor meus, si Dominus, ubi est reverentia mei?* Alibi verò pertinaciam

Esaï. 1, 2, 3.

Conf. Puff.
de I. N. &
I, 6, 12.

I, 6.

Deut. XXXII, 6. *ciam populi sui increpat hunc in modum: Hæc enim reddis popule stulte & insipiens Domino, nonne ipse est pater tuus, possessor (seu Dominus) qui fecit te ac confirmavit.*

XXVII. Hinc animadvertas quoque, apud veteres Ecclesiæ Christianæ Doctores, Gentiles ac incredulos ad veri Dei cultum obedientiamque illi præstandam adducturos, vel unice ad Dei creationem ejusque regimen provocasse, vel illa saltem ceu præcipua fundamenta attulisse. *D. Paulus Athenienses ab ignoto Deo ad agnoscendum colendumque verum Deum manu veluti ducturus, hunc in primis eo nomine innotescere ipsis cupiebat, quod fecisset mundum, & omnia quæ in eo, quodque ipsius regimine omnia constarent utpote in quo & nos vivimus, movemur & sumus.* Clemens deinceps, hujus Pauli discipulus Epistolam ad Corinthios conscripsit, quam Irenæus & Eusebius *ἱεροκλήτου ἡγήθου ἐπιστολή* vocant, quamque Patritius Junius primùm deindè Joachimus Johannes Maderus ediderunt. In hac Epistola officia præcepturus, seu ut ipse scribit, *τὸ ἰσοδοῦς ἀπὸ τῆς ἰσοκρίσεως*

p. 27. *subjectionem per obedientiam, hunc in modum pergit: Totius mundi parentem & creatorem diligenter intueamur, & excellentibus ejus donis & benefactis firmiter adhareamus.* Recenset postea opera divinæ gubernationis & regiminis, atque hunc in modum concludit: *Videte dilecti, ne benefacta ejus, quæ numero sunt multa nobis in condemnationem cedant, si minus dignam*

p. m. 154. *eo vitam instituamus.* Justinus Martyr in Apologia altera pro Christianis ridet Gentiles, quod Deos colerent, quos ipsi fingerent refingerentque, monetque eum potius colendum esse, qui pro sua bonitate in ipso rerum exordio condidit homines ex informi materia, ut si vitam suam ipsius voluntati attemperaverint, cum illo degant immortales. *Quemadmodum enim ab initio cum in rebus non essent, eos condidit, sic quotquot obedienter voluntatem ejus exequuntur, immortalitate perpetua dignatur.* Nam ut esse inciperemus, penes nos non erat &c. Ubi fundamentum simul obedientiæ, præmiumque animos alleclurum, manifestè innuit.

p. 120. *Tertullianus verò libro adversus Judæos conscripto, ostensurus, non*

non illam unicè gentem à Deo legem accepisse, sed omnes in universum, fundamentum à creatione & regimine divino petit: *Cur enim Deus universitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmatore, universarum gentium sator, legem per Moysen uni populo dedisse credatur, & non omnibus gentibus attribuisse dicatur?* & post pauca: *ut congruit bonitati Dei & aequitati ipse, utpote plasmatore generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit.* Cyprianus Tractatu I. contra Demetrianum Christianis ingruentia mala tribuentem, culpam in ipso Demetriano aliisque incredulis positam esse, demonstraturus, scribit inter alia: *quereris, quod minus nunc tibi uberes fontes & aura salubres, & frequens pluvia, & vertilis terra, obsequium praebeant, quod non ita utilitatibus tuis & voluptatibus elementa deserviant. Tu enim Deo servis, per quem tibi cuncta deserviunt? Tu famularis illi, cujus nutu tibi universa famulantur? Ipse de servo tuo exigit servitium, & homo hominem parere tibi & obedire compellis, & nisi pro arbitrio tuo tibi serviatur, nisi ad voluntatis impedium pareatur, imperiosus & nimius servitutis exactor, flagellis verberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias, & non agnoscis Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse dominatum.* Merito ergo incurstantibus plagis non desunt Dei flagella, nec verbera. Ubi manifeste fundamentum & causam divinarum poenarum ponit in eo, quod Deum non colerent Gentiles, qui tamen benefactor & Dominus mortalium esset. Lactantius verò prae aliis prolixè atque eleganter hanc rem illustrat, eo loco; ubi de vera sapientia agit, *Deus inquit, unus est, quoniam utramque personam sustinet & patris & Domini.* Et amare eum debemus, quia filij sumus, & timere, quia servi. Rursus ibidem: *Plato ait, unum esse fabricatorem mundi, Deum, & M. Tullius fatetur, hominem praclarà quâdam conditione à summo Deo esse generatum: debitum tamen ei cultum tanquam summo patri non reddiderunt: quod erat consequens ac necessarium.* Denique sub finem capitis: *Unus igitur ac solus coli debet, qui Jovem, qui Saturnum, qui caelum ipsum terramque antecessit. Is enim necesse est, figuraverit,*

p. 144.

Inst. Div.
IV, 4. P.
222.

figuraverit, qui ante hominem calum terramque perfecit. Solus pater vocandus est, qui creavit: solus Dominus nuncupandus, qui regit, quem, qui non adorat, & insipiens servus est, qui Dominum suum aut fugiat, aut nesciat: & impius filius, qui suam verum patrem vel oderit vel ignoret. *Basilii Magni in Quæstionibus diffuse explicatis: Etsi Deum ex bonitate non agnosceremus, ob id solum, quod ab ipso facti sumus diligere & amare excellenter debemus, & ex memoria ipsius perpetuo pendere, velut ex matribus infantes.* Ex quibus jam facile constat, non tam in divina natura absolutè sic dicta seu essentia, quam in conditione illa Dei, per quam ipse creator constituitur ac gubernator, nostram adversus Deum obligationem fundari, Veterum quoque Ecclesiæ Doctorum fuisse sententiam.

Quæst. II.
P. 518.

XXVIII. Etsi verò *Leges Naturales* in natura ac conditione objectorum dicto modo fundentur; divinæ tamen voluntati ceu principio obligationem fundanti, Legisque promulgationem constituenti adscribi debent. Voluit enim non modo Divinum Numen, ut *Leges* istæ in homine existerent, quod sub initium ostendimus, sed & ex mera bonitate ac libero arbitrio hominem condidit, quod, ut alibi probatum hic supponitur. Constringemus rem in Summam atque hunc in modum concipiemus: Destinavit Numen divinum jam tum ab æterno animal producere, mente præditum itemque creatoris servum, ac societatis membrum, ut superius ostendimus: hoc verò animal decrevit itidem juxta tenorem liberè assignatæ naturæ ac emergentis conditionis gubernare, adque finem suum dirigere. Eo ipso autem, quo talem, qualis est homo, producere decrevit & ad convenientem naturæ finem destinavit, media simul apud se ordinasse censendus est, atque adèò jam certam rerum & objectorum seriem constituit, & proindè, ut horum ad istas vel convenientis vel discrepans proportio atque habitudo esset, effecit. Hanc dispositionem *Hierocles* vocat *ἡ νόμος ἀρετῶν ἢ τῶν ἡγεῖται δὲ τῶν ἀρετῶν ἐν τῇ φύσει* *Legem Dei opificem constantem, actionem à qua res in perpetuum ordinantur.* Cum quo eleganter consentit illud *Augustini* nostri:

Axi: *Lex aeterna ea est quâ justum est, ut omnia sint ordinatissima.* Lib. I. de
 De eadem Cicero juxta sapientissimorum sententiam ita scribit: Lib. Arb. p.
Legem neque hominum ingenis excogitatam, neque scitum aliquod 607.
esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum re- de Legib.
git, imperandi prohibendique sapientiâ. Ita principem Legem Lib. II.
illam & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis
aut vetantis Dei. Ex qua illa Lex, quam dij humano generi de-
derunt, rectè est laudata. Est enim ratio mensque sapientis ad ju-
bendum & ad deterrendum idonea. Nimirum obligandi jus crea-
tione primum fuit acquisitum, id quod deinceps actuali regimi-
ne Deus exercere voluit. In ipsa verò creatione naturalem re-
spectum ac conditionem rerum veluti normam, secundum quam
Leges ferendæ, posuit. Hinc est divinæ mentis conceptus seu
decretum, homines rerum naturæ & conditioni convenienter
adeòque ordinate gubernandi, qui conceptus dicitur Lex Æter-
na, prout verò eundem in homine Deus voluit extare, Lex Na-
turalis.

XXIX. Cæterum quomodocunque innotescat voluntas di-
 vina, Legis rationem induit. Hinc & Scriptura malos seu tur-
 pes actus in respectu ad Legem describit. *Augustin. in sermone.* Ne-
 que tamen præcepto demum ac voluntate sua Legislatoria, seu
 præcipiendo justa, vetando verò mala ac injusta, quoad omnem
 rationem Deus fecisse existimandus est: quemadmodum in Le-
 gibus positivis, ubi præceptionis ac prohibitionis fundamentum
 in merum Legislatoris arbitrium recurrit: jam tum enim obje-
 cti natura ac conditio, ut supra ostendimus, actus illos, quos
 honestos ac licitos vocamus, dictaverat veluti atque suo modo
 constituerat, ut non potuerit alios divinum Numen præcepto
 exigere, nisi perversâ ac immutatâ rerum naturâ: quamobrem
 si quis eosdem actus, vocare velit *per se justos ac honestos, sive*
debitos cum H. Grotio, non in oppositione voluntatis divinæ, sed
 in respectu ad fundamentum, hoc sensu: actus naturæ legibus
 præcepti, sunt *fundamentaliter* justus & honestus per naturam suam:
formaliter verò per convenientiam cum lege seu voluntate Dei,

non refragabimur. Neque dubitamus, hac ratione Legum Naturalium constantiam ac immutabilitatem adversus supra dictos Reformatos aliosque satis firmari atque roborari.

XXX. Eo ipso verò, quo DEUS juxta exigentiam objecti Leges hominibus præscripsit, id quod *cuique* per naturam veluti debebatur, eoque respectu *suum* erat, tribuit non modo, sed & ab aliis tribui fecit: quod quid aliud est, quam *justitiæ* munus exercere? Vocamus enim *justitiam constantem voluntatem suam cuique tribuendi*: DEO nimirum & hominibus, aut, si cui non placeat hîc *justitiæ* vocabulum, quod tamen cum scriptura ac patribus in illo, quo dictum est, sensu, adhibemus; largiatur id nobis tantisper, ut in rerum demonstratione pergere queamus, patiaturque, ut nunc istâ voce cuncta officia erga DEUM & homines exprimantur. In hunc enim sensum scribit etiam *Lactantius*: *Nihil est prestabilius quam plane intelligi: nos ad justitiam esse natos. Quod si est verissimum, DEUS ergo vult omnes homines esse justos, id est, DEUM & homines caros habere. DEUM scilicet honorare tanquam patrem, hominem diligere velut fratrem, in his enim duobus tota justitia consistit, qui ergo aut DEUM non cognoscit aut homini nocet; injuste & contra naturam suam vivit, & hoc modo rumpit institutum legemque divinam.* Justitiæ voce ad eò omnia officia exprimens. Pertinet huc quoque illud apud *Aristotelem*: *Justitia in se virtutes complectitur omnes.* Quo nomine Cicero quoque libro de natura Deorum pietatem definit *justitiam adversus Deos.* Scriptura: *omnia præcepta tua sunt justitia.* Specialius tamen officia erga homines *justitia* nomine exprimimus, erga DEUM vero *sanctitatis* atque *pietatis.* Quemadmodum nempe in aliis voces à rebus humanis desumtas ad DEUM accommodare, resque divinas iis exprimere solemus, ita hic quoque vocabula à virtutibus hominum desumta ad DEUM transferimus, illamque divinam voluntatem perpetuam *suam cuique tribuendi, justitiam* appellamus: Specialius vero, quatenus eadem divina voluntas ita comparata est, ut divinam naturam decet, hoc est, ut divinæ naturæ, ab omni labe ac impuritate

Libro de
Ira DEI
cap. XIV.
P. 465.

Mor. V. 3.

Pf. CXIX,
172.

puritateliberæ congruit, *sanctitatem vocamus*, Deumque adeò *justum & sanctum*. Unde & scriptura S. receptum loquendi morem secuta, passim *justitiam & sanctitatem DEI* prædicat.

XXXI. Ubi tamen semper probè observamus, voces ab imperfectionibus, quas vulgò involvunt, liberandas esse. Itaque & hoc loco, quando DEO justitiam tribuimus ac sanctitatem, nequaquam eundem legibus subjicimus, quemadmodum homines justitiam exercent & sanctitatem, obediendo legibus, id quod imperfectionis est, ac subjectionem indicat. Multo minus sanctitatis voce obedientiam cultumque, quem DEUS ipse sibi deberet, aut coercionem erumpentium motuum impurorum, quomodo homines sancti sunt, innuimus. Nec justitiam nominando omnes justitiæ partes DEO tribuimus, utp. quarum multæ humanæ naturæ quâ tali competunt, imperfectionemque supponunt: sed in perfectissimo gradu, excludente omnem imperfectionem justitiam & sanctitatem DEI concipimus: Unde nec ut accidentia, quemadmodum in homine habitus ac virtutes sunt concipiendæ: multo minus ejuscemodi constantiam ac perpetuitatem intelligimus, quæ interrumpi possit adversis motibus, quemadmodum in homine, qui vel affectuum æstu in transversum agitur, vel ignorantia pervertitur: Nam cum neque mentis defectus, nec præoccupantes affectuum impetus in DEO sint; utique voluntas isthæc divina neque corrumpi poterit illis imperfectionibus: Inclinare verò eandem voluntatem perpetuo in id, quod divina essentia seu natura, itemque humana exigit, vel ex eo manifestum est, quod, si semel aliud vellet, quam quod natura & essentia ipsius postulabat, dissensio ac confusio virium in DEO poneretur, quod ingentis imperfectionis genus est. Porro, si unquam denegare velle posset naturis à se conditis, id, quod istæ, eo ipso dum ita sunt formata, exigunt; aut fieri id per imprudentiam dissentientis à seipso, aut per invidiam, quod est bono aliquo carentis, aut impotentiam, quod est ejus, qui viribus deficit, vel per complacentiam in inconvenientia rerum ac discordia, quæ per se ad interitum tendit, quod insi-

gniter malitiosi est. Itaque cum nihil istarum imperfectionum DEO competat, non potest non per naturam suam velle cuique tribuere, sibi primum, deinde omnibus aliis à se conditis. Hinc dicimus: Justitiam DEO naturalem seu essentialem, quæ prout in DEUM ipsum tendere concipitur, sanctitas dicitur. Atque sic alium Legum Naturalium fontem indagavimus, *essentialem DEI justitiam & sanctitatem*: facile enim nunc intelligitur DEUM, qui per essentialiam justus & sanctus est, non potuisse non leges Naturales, quibus DEO tribuitur suum itemque hominibus, hoc est, id quod ipsorum natura ac conditio postulat, præscribere.

XXXII. Inde est, quod Spiritus Sanctus passim in Scriptura Sacra mores & actiones humanas ad justitiam Dei sanctitatemque revocet, ceu ad ultimam originem ac fontem juris & honesti. Sic in *Levitico sancti*, inquit, *eritis, quia sanctus ego Jehovah Deus vester*. Quod D. Petrus repetit in prima sua Epistola Catholica, & S. Johannes inquit: *qui exercet justitiam, justus est, sicut ille justus est*. Quoniam autem justitia & sanctitas sunt perfectiones, hinc alibi: *Estate perfecti, sicut pater vester, qui in calis est*. Non certè quod justitia sanctitas & perfectio in homine immediatè ex justitia & sanctitate Dei fluant, ac præcisè justus & sanctus debeat homo esse, quia Deus est justus & sanctus, in Deo enim justitia & sanctitas sunt perfectiones prorsus naturales, ad ejus essentialiam ceu summè perfectam spectantes, ut patet ex antecedentibus, unde minus rectè concludes: has perfectiones Deo enti infinite perfecto competere, ergò & hominem, creaturam per se imperfectiones naturales non aspernantem, illis destitui non posse, quemadmodum non sequitur: Deus est immortalis, incorruptibilis, spiritualis &c. Ergò hominem quoque talem esse oportet. Multò minus autem ad suam *justitiam & sanctitatem* nostram institui debere cupit divinum Numen propterea, quod hæc illi prorsus possit esse similis: homines enim justus sunt & sancti obediendo Legi: Deus verò per naturam suam & essentialiam; hi imperfectè, Deus autem in perfectissimo

IX, 2.

I, 15.

I, 3, 7.

Matth. V.
vers. ult.

fectissimo gradu. Itaque allata modo dicta, quæque iis sunt similia, huc potius respiciunt, ut adducamur ad veram originem ac fontem sanctitatis ac iustitiæ, hoc modo: *Estote iusti & sancti*, id est, obedientiam præstate legibus meis, quæ iustitiam & sanctitatem continent: *ego enim* utpote Deus *iustus sum & sanctus* q. d. quia ego Jehovah ac verus Deus per naturam ac essentiam verè sanctus atque iustus, leges quoque à me provenientes nequaquam fictam ac falsam aliquam sanctitatem & iustitiam in se continebunt, quemadmodum Gentilium statuta, leges & consuetudines. Estote igitur sancti, iusti, constanter obedite legibus meis, ego enim sanctus sum ac iustus: quid itaque est, quod metuatis iniquitatem ac injuriam ullam. *Iustitia enim tua iustitia est in æternum & lex tua veritas* inquit David. Ubi rectè & accommodatè ad sententiam nostram D. D. Seb. Schmidius: *quid aliud dicit nisi hoc, quod ex iustitia DEI æterna fluat lex ipsius, adeoque & ipsa sit verissima iustitia.* Nimirum Deus præcipiendo iustitiam & sanctitatem ad legem suam nos ablegat, suam verò iustitiam & sanctitatem ceu *motivum* vel *Ideam originalem* allegans, fontem Legum indicat, eoque ipso docet: Legis sanctitatem ac iustitiam veram esse, adeoque imitandam, utpote ex illa essentiali Dei derivatam: è qua vicissim de ista divina quomodo se habeat, judicari possit.

XXXIII. Hanc iustitiæ *Ideam originalem* in Lege suo modo expressam respexit *Augustinus*, scribens hunc in modum: *cum sis injustus, esse non potes iustus, nisi convertendo te ad quandam iustitiam (id est Deum) à qua si recedis injustus es; ad quam si accedis, iustus es.* Alibi prolixius: *iustitia præstò est juste viventi; secundum ejus regulam videt quemadmodum juste vivat, & sicut iusti benè vivendo, eam vident, ita iniusti male vivendo eam non vident. Nam & ille juste vivit, cum eam videt, ut secundum eam actus suos dirigat; quia nisi secundum iustitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.* Nimirum haut facilius genuinæ alicujus naturæ se conformare quis poterit, quam si fontem ipsum seu primam ideam respiciat. Sic qui iustus esse

pg. CXIX,
242.

In Psal.
LXVII.

Serm.
XLIV. de
Diversis
cap. VI.

volet atque sanctus, nullam huc accommodatiorem reperiet viam, quam si primam sanctitatem ac justitiam attendat: hæc verò cum ex voluntate Dei, lege expressa cognoscatur: legi seu divinæ voluntati istâ lege patefactæ se conformare erit reipsa nihil aliud, quam justitiæ ac sanctitati Dei ceu primo fonti ac *Idea Originali* similem fieri. Eundem igitur fontem intendit, idemque aded quoad rem docuit *D. Basilius* scribens: eorum, *qua nos facimus operum omnium una est regula normaque una, nempe ut Dei jussis ex Dei voluntate pareamus: nec fieri potest, ut opus nostrum aliter perfectè efficiamus, nisi quamdiu illud in mentibus nobis est, ut assidue voluntatem ejus, qui scivit sanxitque, legem mandatorum spectemus.* Nec recentiores Theologi luculentius justitiam & sanctitatem nostram expressere quam per conformitatem cum divina voluntate quatenus lege est patefacta. *Meisnerus in Anthropol. libro de Imagine Dei.*

Reg. fufe
disp. Tom.
II. fol. 423.
Interrog. 5.

Ed. Lug.
fol. 128.

Manud. ad
Ph. St. II.


VIII. 9.


XXXIV. Ad hanc originem seu fontem justitiæ & sanctitatis, sive dicas voluntatem Dei lege expressam, sive justitiam & sanctitatem Dei essentialem seu naturalem, respexere quoque **Veteres Philosophi**, nominatim *Plato in Theateto* & alibi, felicitatem seu finem collocans *ἐν ὁμοιωσει τοῦ Θεοῦ* in assimilatione Deo, utpote per quam assimilationem quoad rem nihil aliud intelligebat, quam pietatis seu sanctitatis & justitiæ participem fieri, ut ipse explicavit loco jam tum à *Lipso* annotato atque mirifice commendato: *naturam hanc mortalem regionemque inferiorem necessario circumeunt mala. Quare conandum est ut hinc illuc quam celerrimè fugiamus: Fuga autem est, ut DEO similes pro viribus efficiamur. DEO similes efficit cum prudentia simul justitia & Sanctitas.* *Augustinus de Civ. DEI Platoni finem boni hunc fuisse scribit: secundum virtutem vivere, id quod ei soli evenire possit, qui notitiam DEI habeat & imitationem, ubi prolixa annotatio Lud. Vivis. est consulenda. Hierocles Commentator in Aurea Carmina Pythag. Ea sunt qua DEO similes nos reddunt: qua ante opus consulere faciunt, ne stulta committantur, qua nos à nullo, neque verbis, neque factis, avocari sinunt. Qua reddunt idoneos*


idoneos ad occurrentium sermonum discrimen faciendum, quæ divinitus missas calamitates ferre moderate, iisque mederi persuadent, quæ mortem paupertatem pati a quo animo, quæ justitiam colere; quæ ventrem ipsum, & ea quæ ventrem sequuntur, continere. Quæ leges tradunt amicitia, & debitum parentibus honorem. quæ denique superiorum generum cultum demonstrant, ubi notandum, quatuor præcipuas virtutes, quibus ceteræ omnes subordinatæ, undeque cuncta officia naturalia derivari possunt, elegantissime exprimi, earumque adeptionem in eo poni, si quis DEO similis fiat. Quo ipso quid aliud agitur, quàm, dum officiorum Naturalium expletione homines DEO similes fieri dicuntur, quod in ipso adeo DEO idea quædam velut originalis concipiatur justitiæ & sanctitatis seu virtutum, ad quas qui se comparat, & ipse justus ac sanctus evadit.


XXXV. Jam si hæc, quæ modo de fonte Legum Naturalium, Justitia DEI essentiali atque sanctitate dicta sunt, cum iis, quæ supra de objecto Legum Naturalium ac divina voluntate annotavimus, jungamus; hæc veluti facie integrum tractationis nostræ argumentum denique se conspiciendum præbebit: Condidit Divinum Numen ex mera bonitate ac liberrimo suo arbitrio animal ratione præditum, idemque societatis membrum ac in servitute DEI naturaliter constitutum; hæc natura exigebat per se notitias illas practicas quas Leges Naturales vocamus, itaque cum DEUS per naturam suam ac essentialiter sit justus ac sanctus, non potuit non propterea id ab homine requirere quod ipsius natura ac conditio postulabat. Ex quo rursus patet, quicquid est Legum Naturalium ad voluntatem DEI perfectissimam merito referri: cum & ipsa sanctitas & justitia DEI essentialis nihil aliud sit, quam perpetua & perfectissime constans voluntas tribuendi suum DEO, aliisque.


F I N I S.




















BAPTISMO.

47

non *fini*, vel peccati rationem non habere vis hujus Sacramenti ad peccata futura at? N. utrumque, contra *Pontific.*

1. Baptismalis instrumentum & Organum sensu tantum *moralis*, quatenus in significante Gratiâ occupatur; an insuper & *reali* regenerationis obsignatam, *organicè* quidem, A. prius: N. poster. contra *Lutheran.*

2. An qui baptizantur, non quidem semper renascuntur, in ipso Baptismi externi actu & motu, & regenerentur? An verò gratia ista generationem modò antecedere, modò subsequi potest? N. saltem habitus fidei, spei, charitatis infundantur? N. Illud, A. Istud, contra *Lutheran.*

3. An sine illo decedentes gaudio cœlesti priventur, vel eo saltem *necessitatis gradu*, potius à privato ministrari, quàm omitti potest? N. Illud, A. Istud, contra *Pontific.* Hoc etiam contra *Lutheran.*

4. An ritus tantum 1. *indifferens*, nullâ præsertim liberè ab Apostolis assumptus; 2. *temporissimum* pertinuerit ad Ecclesiam nascentem contra *Socin. & Remonstrant.*

5. An Anabaptistæ Baptismum sive Infanti colunt, à quâcunque aliâ Religione ad adultorum, iterandum censeant; & iterent? N. Illud, A. Istud, contra *quosvis*, hoc contra *rigidiores Anabaptist.*

6. An exorcismus, sive Adjuratio mali Spiritûs, ut exeat, & locum cedat Spiritui Sancto, sit Baptismale quoque ceremonia vel necessaria, vel saltem tolerabilis? N. Illud, A. Istud, utrumque, illud contra *Pontific.* hoc contra *Lutheran.*

DE